

E P I C T E T V S.

279

cessitatis redigi. Prius quæso disce quæ nam sint appellanda turpia, & postea te nobis philosophum esse iactes: in præsentia uerò si quis te sic appellet, ne admiseris. Est ne turpe tibi quod ipse non feceris, cuius tu causa non fueris? Quòd alia ratione tibi euenit, quemadmodum dolor capitis, ut febris. Si parentes tui fuissent inopes, aut alios reliquerint heredes, aut dū uiuunt tenuiter se sustentant, ignominia scilicet inde ad te redundat nulla, nec pudenda hæc tibi censes? Discere scilicet illud potuisti ex philosophis? Nunquam ne audisti turpe id esse quod sit dignum ignominia, id uerò aliud esse nihil quàm cui sit illudendum? Quisquam ne porrò est quem irrideas, in eo quod ipse non fecerit? Tūne uerò patrem tuum effecisti talem? An in potestate est tua, ut rectius illa se habeant quæ ad ipsum pertinent? Permissum ne id tibi est? Quid ergo oportet, num uelle ea quæ in manu tua non sint, aut si ista non consequare, timenda turpitudine & ignominia? Itane consueuisti philosophari, ut aciem intenderes in alios, ipse uerò in teipso fiducia, aut spei habere nihil? Quare plores per me licet & suspires, & comedas, metuens ne tibi in crastinum suppetat cibus. De seruilis eadem sollicitudo te premat, ne expilent te, ne fugiant, ne moriantur. Ita tu uiuas, & sic uiuere nunquam porrò desinas, qui tantum uocabulo, & titulotenus ad philosophiam accessisti, eiusque præcepta quantum in te est ignominia affecisti, inania atq; inutilia discantibus esse præ te ferens, atque exemplo tuo ostendens. Nunquam ut optimo statu esses expetisti, tranquillitatem & uacuitatem affectuum ne desiderasti quidem: neminem ut illud scires, coluisti, præbuissti autem te pluribus à quibus disceres rationem syllogismorū. Nunquam autem de tuis oblatis uisis periculum fecisti teipsum experiundo, Vtrum ferre istud possum, aut non ferre? Quid